



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Nidrosiensi Archiepiscopo & suffraganeis ejus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20020

538 Epistolarum Innocentij III.

tur, & sustinentium se timoribus in abundantia votivæ securitatis occurret. Vafa namque figuli probat fornax, & justi opera tribulationibus eritescunt; & unde iustitia interdum extingui creditur, robatur. Monemus igitur fraternitatem tuam & in Domino propensius exhortamur, per apostolica tibi scripta mandantes quatinus in illo sperans qui servos suos edocuit, cum audirent seditiones & prælia, non terreri, & altissimum refugium tuum ponens, in tribulationibus, que tibi cedent ad gloriam, non deficias, sed conforteris in eo qui bella conterit, & cui nomen est Dominus, quique multorum superbiam paucorum humilitate prostravit; sicut vir strenuus & robustus dans studium diligens & operam adhibens cum aliis fidelibus efficacem ad eliminandam à terra sancta, divina præeunte potentia, spurcitiam paganorum, de gratia nostræ favore securus quod apostolicum tam tibi quam illi terre non deerit auxilium in his quæ viderimus expedire ac nobis divina misericordia ministrabit. Quia verò dilectus filius S. Thesaurarius Antiochenus se multis pressuris exposuit pro tuis negotiis apud sedem apostolicam laborando, & ea tamquam vir prudens exequutus est diligenter, ipsum tibi apostolicis litteris duximus commendandum, rogantes quatinus ob reverentiam beati Petri & nostram taliter habeas commendatum eundem quod idem apostolicas preces apud te sibi sentiat profuisse, ac alij exemplo ipsius ad tua & Ecclesiae Antiochenæ obsequia fortius animentur. Ad hæc, de cruce aurea & diaspro nobis ex parte tua per eundem liberaliter præsentatis gratiarum tibi referimus actiones. Datum Laterani vii. Idus Junij, pontificatus nostri anno quartodecimo.

NIDROSIENSI ARCHIEPISCOPO
& suffraganeis ejus.

Epiſt. 73.
Super dilen-
ſione de regno
Norvagia.

A A nostram noveritis audientiam per venisse quod obeunte Svvero, qui Norvagia regno præfederat, fautores ejus, qui Birkibani dicuntur, quendam ipsius nepotem Ingone nomine sublimare nitiebantur in Regem. Quorum conatibus viri prudentes & nobiles, qui genus regium Norvagia plenè noverant, resistentes, juvenem quendam Philippum nomine, à clara memorie Magno & Ingone antiquis & catholicis Norvagia Regibus trahentem originem, insignem generem, ac mortuum honestate præclarum, in Regem concorditer elegerunt. Ipsis itaque pro regno

certantibus & destruentibus male terram, tandem divina ex alto præsidente clementia per tuam, frater Archiepiscopi, ac venerabilis fratris nostri Aloensis Episcopi sollicititudinem & operam diligentem sic sunt inter eos pacis fœdera reformata ut utroque dignitatem & nomen regium retinente, si hoc tamen ex dispensatione noster approbaret assensus, Ingo in quādam, Philippus verò in altera Norvagia parte regnet. His igitur ita dispositis contigit quod idem Philippus, ad quem regnum, sicut accepimus, hereditario jure spectat, cum adver saris suis colloquum habiturus accessit, quem uidem adver sarj sui cum innumera multitudine circumstantes, licet prius fuerit datis obsidibus diffinitum cum quantis deberent utriusque copias convenire, asserebant firmiter se cum ipso Philippo pacis fœdus nullatenus iniuros, nisi a le nomen regium abdicaret. Qui constitutus in arce, ne nobilitatem sui generis macularet infamia & fœdus pacis initio violaret, ad appellationis remedium convolavit, committens causam suam nolto arbitrio terminandam; ut videlicet quem magis idoneum judicaremus, ille regio sublimaretur nomine ac honore. Quod principes Birkibaniorum penitus renuentes, si nostro nunquam stare velle judicio proponebant. Licet autem super his quorundam testimoniales litteræ nobis fuerint definitæ, quia tamen per eas non est facta nobis sub tali & tanto negotio plena fides, per apostolica vobis scripta præcipiendo mandamus quatinus Deum habentes præocculis, inquiratis super his plenissimè veritatem, & eam nobis per litteras vestras fideliter intimetis; ut per vestram relationem instructi, securius in ipso negotio procedere valeamus. Datum Laterani vii. Idibus Junij, pontificatus nostri anno quartodecimo.

N E A P O L I T A N O
Archiepiscopo.

Epiſt. 74.
Quod secundum
dictum Imperatoris
Ottonis.

EX parte tua fuit nobis humiliter suplicatum ut cum civitatem Neapolitanam supposueris interdicto, & credatur à pluribus quod secundum tenorem litterarum nostrarum, quae continent excommunicationem Ottonis dicti Imperatoris & ejus sequacium, civitas ipsa non debuerit interdicti, tibi exponere dignaremur utrum illud beat observari. Ad quod tibi breviter respondemus quod cum Neapolitani, jurando & præstando favorem eidem, sententiam excommunicationis incurre-